

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 18 (1904)

Artikel: De philosophia culturae [Fortsetzung]
Autor: Fischer-Colbrie, Augustinus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761656>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 05.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE PHILOSOPHIA CULTURAE.

SCRIPSIT

AUGUSTINUS FISCHER-COLBRIE,

S. THEOL. DR., PROTONOT. AP. AD INST. PART., PRAELATUS DOM. S. S.

(Sequitur. Cf. vol. XVII. p. 455. et XVIII. p. 63. et p. 230.)



Cap. XI.

De cultura et religione.

Summarium: 1. Religio pars principalis culturae. — 2. Religio ut conditio ceterarum partium. — 3. Partes altruismi in cultura activa. — 4. Fundamentum religiosum altruismi. — 5. Adiumenta specialia religionis pro cultura morali. — 6. Item pro cultura sociali. — 7. Item pro cultura oeconomica. — 8. Item pro cultura intellectuali et aesthetica.

1. *Religio pars principalis culturae.* De religionis relatione ad culturam tria axiomata statuimus, quorum *primum* est, Religionem esse partem principalem culturae; *secundum* eam esse conditionem, sine qua ceterae partes secure evolvi ac recte stabiliterque florere non possunt; *tertium* religionem evolutioni harum partium multa emolumenta positiva praestare.

Primum assertum patet e dictis de fine culturae (Cap. II.). Quamvis enim ex usu loquendi communi sub cultura eam praecipue hominis perfectionem intelligamus, quae ad hanc vitam terrenam pertinet, tamen etiam in hoc sensu cultura religionem comprehendit, imo primam ei sedem inter omnes suas partes adiudicat. Nam non potest religio non esse etiam vitae terrenae hominis decus praecipuum et excellens ornamentum.

2. *Religio ut conditio ceterarum partium culturae.* Prius synthetice probamus pleraque culturae humanae elementa sine fundamento religioso efflorere non posse et dein partes huius probationis singillatim demonstrabimus.

Sine actionibus altruisticis cultura humana produci nequit; atqui actiones altruisticae consequenter et secure sine religione non ponuntur. Ergo cultura humana sine religione non producitur.

Ad probandam maiorem ostendendae erunt partes altruismi in cultura activa, ad minorem vero necessitas religiosi fundamenti pro altruismo.

3. *Partes altruismi in cultura activa.* Intelligimus sub altruismi moderno vocabulo animum paratum ad aliis bene faciendum absque motivis proprii commodi, qui termino Scholae antiquae nil aliud est, quam amor benevolentiae in proximum.

Iam multae actiones, in quibus cultura activa consistit, vere et sincere debent esse altruisticae, i. e. debent fundari in amore qui dicitur desinteressatus, aliorum vel totius societatis.

Ad culturam activam prorsus necessario pertinet exercitium commune et continuum quarundam virtutum vitae domesticae et civilis.

Virtutes domesticae ad culturam conservandam prorsus necessariae sunt casta fidelitas coniugum et bona educatio prolium; sine his enim bona culturae iam acquisita quoque facile peribunt, quin cum subsequentibus generationibus communicentur.

Virtutes civiles autem praecipue sunt iustitia commutativa, distributiva, legalis, sine quibus item cultura consistere nequit. Sine iustitia praevalebit fortior aut viribus corporis aut viribus pecuniae; regimen devertet in tyrannidem, tyrannis devolvit subditos in anarchismum; fraudabuntur prius operarii mercede congrua per capitalismum et dein movebit revolutionem socialismus; tandem omnia vertentur et in turbis perpetuis cultura efflorere non poterit.

Unde patet ad evolutionem et consistentiam culturae multas virtutes morales esse necessarias.

Atqui hae virtutes non possunt salvae consistere absque altruismo: requirunt enim in homine abnegationem sui et suorum appetituum: casta fidelitas coniugum labente temporis multis tentationibus exposita non potest consistere sine abnegatione; eandem exigit patiens et sumptuosa infantium educatio; eandem merces operariis danda ante coactiones legales; eandem operariorum labor assiduus et congrua mercede contentus; eandem honestas tunc quoque a fraude abstinens, quando non imminet poenae periculum.

4. *Fundamentum religiosum altruismi.* Virtutes vitae domesticae et civilis exigunt abnegationem: abnegatio

autem consequenter existere nequit in ethica a religione praescindente.

Ut enim quis se rationabiliter et consequenter abneget, perspicere debet obligationem ad abnegationem subeundam porro (frequenter saltem) respicere debebit sanctionem huic obligationi adnexam.

In ethica vero irreligiosa nec vera obligatio nec sufficiens sanctio adest, uti patroni eius ingenue fatentur.¹

Unicum, quod in ethica irreligiosa ad fulciendas actiones altruisticas remanet, sunt motiva egoismi cuiusdam aut sympathici aut secus reflexi.

Egoismus sympathicus seu sympathice reflexus ideo agit altruistice, quia talis actio pro ipso agente propter sympathiam fit delectabilis; egoismus secus reflexus ideo agit altruistice, quia e tali actione commodum aliquod consequendum aut incommodum vitandum sperat.

Sympathicus egoismus iterum potest esse aut individualis aut socialis; et socialis iterum aut de praesenti aut de futuro, secundum id, utrum delectatio sympathica quaeratur in bene faciendo cum determinatis individuuis aut cum societate generatim et quidem aut coaevorum aut generationum futurarum.

Egoismi secus reflexi motiva esse possunt v. g. vitatio poenae proprie dictae vel dedecoris, tranquilla possessio bonorum priorum in pace sociali, consecutio laudis, famae vel cuiuscumque praemii.

Iam multi sunt casus et quidem non individuales tantum sed integrae etiam species casuum, in quibus motiva ista non sufficiunt ad hominem rationabiliter inducendum, ut abnegationem in se suscipiat et altruistice agat.

Motiva enim reflexe egoistica non pertingunt usque ad actiones occultas, e quibus nec poena timenda nec laus captanda sequetur.

Motiva sympathica per experientiam docentur esse generatim multo debiliora, quam quibus generatim et communiter maior hominum pars ad suscipiendam abnegationem inducatur.

¹ St. Guyau, *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction*. Paris.

Sympathia singulorum erga individua certissime se non extendit ad omnes eos homines, erga quos decursu vitae officia iustitiae et charitatis exerceri deberent.

Sympathia socialis apud paucos tantum adesset, si nullis motivis religiosis niteretur: et quidem apud paucos, si agitur de iustitia et beneficentia erga coevos et apud paucissimos si agitur de bene agendo cum generationibus futuris. Ex ore plerorumque hominum dicitur in Eccl. 2, 18—23 de vanitate laborandi pro herede incerto: „Rursus detestatus sum omnem industriam meam quam sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum! Unde cessavi renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine, homini otioso quaesita dimittit. Et hoc ergo vanitas et magnum malum.“

Unde iam sequitur, religionem esse fundamentum necessarium earum virtutum altruismi, sine quibus cultura humana nec procurari, nec conservari potest.

Praeter hoc generale adiutorium tamen religio praestat culturae etiam multa

5. *Adiumenta specialia*, quae directissime quidem et immediate praebentur *culturae morali*.

In sola enim religione potest fundari vera obligatio officiorum ethicorum et sola religio persuadet homini adesse sanctionem aliquam fortissimam et prorsus universalem pro illis officiis.

Sanctio enim per religionem legi morali addita est validissima, quia proponit homini praemia poenasque tum intensive maximas tum extensive sempiternas. Est porro universalis, quia sanctio illa per religionem docetur administrari per Deum omniscium et omnipotentem, qui novit omnium omnino merita et demerita et cuius imperium nemo potest effugere.

Et hinc religio addit motiva longe alia, multo solidiora et validiora altruismo, iustitiae, beneficentiae aliisque illis virtutibus domesticis et civilibus, imo ceteris quoque virtutibus in quibus moralis cultura humani generis consistit.

Beneficia porro haec directe et immediate culturae humanae morali collata tamen ulterius in ceteras quoque culturae partes extenduntur. Et proxime quidem:

6. *Ad culturam socialem*, dum religio illas virtutes hominibus efficaciter inculcat, quibus cultura socialis humana innititur: castitatem et pietatem in familia, iustitiam, observantiam, affabilitatem, veracitatem, beneficentiam ceterasque in societate universali.

7. *Ad culturam oeconomicam* benedictiones religionis e morali et sociali extenduntur, in quantum pax socialis stabilitur, productionis oeconomicae conditio praerequisita, laborque humanus commendatur et nobilitatur.

8. *Pro cultura intellectuali* religio magnum praestat emolumentum hominis mentem ad suprasensibilia perscrutanda invitando.

Aestheticam demum culturam religio promovet, dum hominis animum a turpi delectatione revocat, phantasiam expurgat et degustanda altiori pulchritudine aptam reddit, dum demum artibus nobilissimas partes in cultu numinis assignat.

Cap. XII.

De cultura et ecclesia catholica.

Summarium: 1. Ingressio. — 2. Effectus morales. — 3. Testimonium S. Cypriani. — 4. Effectus sociales. — 5. Effectus oeconomici. — 6. Effectus scientifici. — 7. Effectus artistici. — 8. Obiectio. — 9. Conclusio totius dissertationis.

1. *Ingressio.* Dicta in capite XI. de beneficiis religionis in culturam valent de religione generatim, praescindendo etiam a revelatione supernaturaliter data et obiective vera. Valent igitur etiam de falsis religionibus, non quidem quatenus falsae sunt, sed quatenus quaedam elementa veritatis continent. Nunc ulterius per summos apices id attingemus, quibus beneficiis religio Catholica culturam humanam auxerit. Videndi igitur sunt Catholicae religionis effectus morales, sociales, oeconomici, scientifici, artistici et demum refutanda obiectio quaedam generalis. Uberior horum effectuum pertractatio potius ad historiam quam ad philosophiam culturae pertinet et proinde alio loco — Deo favente — a nobis proponetur.

2. *Effectus morales* Catholicae religionis debent esse uberrimi et pretiosissimi ob illas egregias qualitates ethices Catholicae, quibus ea ceteris doctrinis moralibus multo antecellit. Materialiter enim religio Catholica omnino recte et sine admixtione erroris docet rectam doctrinam

moralem; proponit igitur hominibus omnes omnino virtutes sectandas; recte has virtutes describit, media earum sine errore indicat, rectam et planam viam ad omnimodam perfectionem hominibus ostendit. Formaliter porro hominibus inspirat firmissimam persuasionem de rectitudine istius viae; removet dubia, quae secus facile oriuntur, dum molesta quaedam urget obligatio; item firmissimam ingerit persuasionem de sanctione legis moralis.

Unde patet religionem Catholicam provisam esse maxima efficacia, quae dicitur aptitudinalis, ad mores generis humani excolendos, reformandos, nobilitandos.

Actualem autem religionis Christianae efficaciam pro moribus humanis reformandis, successusque mirabiles et gloriosos annales Ecclesiae referunt, splendidissimasque paginas huc spectantes hagiographia Catholica continet.

3. *Testimonium S. Cypriani.* Historiae innumera testimonia de moribus per Ecclesiam reformatis hic referre non possumus. Unicum adsit loco millies sexcentorum, illud S. Cypriani, qui de propria sua experientia refert *Ad Donatum* cap. 4. ante baptismum se desperasse de vita nova sine peccatis ordienda, ast post eum susceptum statim fuisse expertum emendationis veritatem. „Postquam undae genitalis auxilio, superioris aevi labe deteresa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse, quod iam Spiritus Sanctus animaret. Scis profecto et mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec praedico.“¹

4. *Effectus sociales* plane admirandi religionis Catholicae e moribus per eam reformatis pullularunt. Familia per castitatem et fidelitatem Christianam reformata gloriosius e tenebris polygamiae saltem successivae surrexit. Matrimonii character sacramentalis, unitas, indissolubilitas sexui

¹ Opp. ed. G. Hartel. Viennae 1868 ss. t. I. p. 6.

femineo dignitatem amissam restituit proliumque educationem stabilem reddidit.

Charitas universalis Christiana iam hereditarias inimicitias erga alienigenas sustulit, mancipiorum catenas solvit, omnium hominum innata iura vindicavit, omnibus miseriarum generibus de multiplici levamine et solatio providit.

Iustitia Christiana dedit mundo sanctos imperantes et sanctos obedientes; perfectaeque ab Evangelio consultae obedientiae frequens exemplum rebelles in mundo quoque voluntates innumeras compescuit.

5. *Effectus oeconomici* e moralibus item et socialibus salubriter promanarunt.

Laborem, oeconomicae prosperitatis humanum fundamentum, Christiana religio e coeno contemptus ad altissimam dignitatem elevavit, dum Filium Dei in officina fabri Nazareni per maximam vitae partem duros labores peragentem mundo ostendit et filios regum in sacra claustrorum medii aevi obedientia aratro laborare docuit, imo medio aevo ordinem socialem unice labori humano mechanico, spirituali, politico innixum stabilivit.

Ex hac laboris nobilitatione iam agricultura et industria utilissimum ceperunt incrementum, commercium vero in honestate Christiana solidissimum nactum est fundamentum.

6. *Effectus scientificos* prima sensit philosophia, in nobilissimis suis partibus ab omni errore repurgata et per hoc in ceteris quoque multum correctata et illustrata.

Immensi valoris labor fidei defendendae et explicandae primorum saeculorum apologetis et doctoribus iam causa et ratio fuit vastissimi studii eruditionis omnigenae, cuius immortalia monumenta in Patrologia Catholica recensentur.

In subsequenti per irruentes barbaros culturae Romanae devastatione asceteria religionis Catholicae facta sunt antiquae eruditionis ultima refugia. Calami monachorum S. Benedicti scriptores classicos et ecclesiasticos describentes facti sunt arma scientiae contra ignorantiam et barbariem.

Renascens exeunte aevo medio antiquarum litterarum studium in Summis Pontificibus fautores maximos, in clero operarios praecipuos invenit.

In continentes recentius detectas mundus nonnisi avaros et crudeles negotiatores et expugnatores misit;

charitas autem Christiana eo direxit agmen evangelizantium pacem, qui fervido studio gentium barbararum et ferarum linguas, mores, usus perscrutati scientiarum ethnographiae et linguisticae parentes merito vocantur.

Et hodiedum Ecclesia in suo clero saeculari et regulari multa hominum millia ad scientias diversas erudit iisque provehendis pro tota vita dedicat.

7. *Effectus artistici* non minores sunt ceteris culturalibus religionis Catholicae effectibus. Pulchritudinis spiritalis incomparabilia plane idealia in Deo, Deo-Homine, Deipara, Virgine Matre, in splendoribus sanctarum virtutum per religionem Catholicam generi humano exhibentur. Ipsa ecclesia, manufacta domus Dei, est magnificentissimum architectonicae artis opus et ceterarum artium aptissimum theatrum: theatrum sculpturae in aris et statuis, picturae in muris et iconibus, musices in choro, eloquentiae in ambone, poeticae in sacra liturgia. Est unaquaeque Ecclesia Catholica museum quoddam artium, non unius, sed omnium; museum non pro solis divitibus et eruditis, sed pro omni homine; museum non unum vel alterum in urbe quadam opulenta, sed museum plane omnipraesens etiam ruri, etiam apud barbaros recenter conversos in silvis Oceaniae, ubi iam audiri possunt cantus Magni Gregorii et videri icones Raphaëlis Sanctii.

8. *Obiectio*. Quid iam dicamus de nefaria calumnia, quae Ecclesiam culturae humanae inimicam blaterare non veretur? — Imo quasi e proprio suo ore Ecclesiam condemnare contendunt, qui ad damnatam in Syllabo errorum num. 80. propositionem provocant ita sonantem: Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere -- dicentes, Romanum Pontificem istam thesim damnantem eo ipso se progressus et recentis civilitatis inimicum irreconciliabilem declarasse.¹

Quae calumniae nunquam ortae fuissent, si iis qui de hac re suam sapientiam pandere cupiebant, placuisset locum illum inspicere, e quo propositio ista in Syllabum transsumpta est, nimirum Allocutionem S. P. Pii IX. habitam in Consistorio secreto diei 18. Martii 1861, agentem imprimis de ruptione Concordati Neapolitani.² Habetur

¹ Cf. Tosi, Vorlesungen über den Syllabus. Wien 1865. p. 228 s.

² Allocutio relata est in Archiv für kath. Kirchenrecht t. VI. (1861) pp. 330—335.

enim in hac Allocutione ea propositionis citatae *authentica* interpretatio, ut Pontifex post querelam de ruptura dicti Concordati aliisque malis Ecclesiae illatis ita prosequatur: „Huiusmodi igitur civilitati possetne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur et haec Sancta Sedes semper sibi constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et alitrix: atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus aetatibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, numquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum huiusmodi civilitate convenire. *Quae enim, ut sapientissime clamat Apostolus, participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras! Quae autem conventio Christi ad Belial?* (II. Cor. 6, 14. 15.)¹

9. *Conclusio totius dissertationis.* Est igitur Ecclesia schola magna culturae pro toto orbe terrarum; schola, quam optima humani generis pars a multis saeculis frequentat, in qua immensa bona iam didicit et plura adhuc discere debet. Est Ecclesia schola divitum et pauperum, doctorum et parvulorum, schola morum et sanctitatis, schola pacis et concordiae, schola ordinis et prosperitatis, schola veritatis et pulchritudinis, scientiarum et artium.

Et ita philosophia culturae ad id perducit propositum, ut laboremus usque ad mortem in stabiliendo extensivo et intensivo dominio Iesu Christi in toto genere humano. Dilatetur extensive dominium Iesu Christi. Cognoscant omnes gentes unum Deum verum et quem misit Filium Suum unigenitum, Dominum nostrum Iesum

¹ Merito notat Tosi o. c. p. 233: „Was hat man nicht schon alles unter Aufklärung und Fortschritt verstanden! Einmal war es die Guillotine, ein anderes Mal die Emanzipation des Fleisches, heute ist es die ökonomische Ausnützung des Menschen, morgen die Säkularisation der Kirchengüter, dann wieder die Verjagung von Königen und Fürsten — und der heilige Vater soll wie ein blöder Tor Beifall klatschen, so oft man mit den Namen von Civilisation und Fortschritt seine Ohren kitzelt, statt vorerst des näheren zu untersuchen, welcher Inhalt unter der gefälligen Außenseite verborgen liege.“

Christum. Cognoscant in eo totam veritatem theologicam et simul fundamentum et correctivum omnis alius veritatis theoreticae et practicae. Firmetur regnum Iesu Christi intensive in omni humana anima. Cognoscant omnes quamplurimum ex fide vera praeceptisque legis divinae. Penetret lumen Christi illustretque omnem et totum intellectum humanum, nullasque relinquat tenebrosas errorum vel dubiorum latebras in anima immortalis, Dei immortalis imagine. Pervadat, ungat, ducat, dirigat, roboret omnem humanam voluntatem gratia Christi salvifica. Sanctificentur mores individuorum, sanctificentur consilia rerum publicarum. Luceat ubique veritas, regnet ubique iustitia et pax. Sit summus Christi in terris vicarius summus etiam in rebus humanis divinae voluntatis interpres, maximus iudex et arbiter humanae moralitatis in rebus dubiis, custos iustitiae, tutor debilium, pater aequitatis.

Ave igitur, sancta gentium Mater, culturaeque magistra! Gratias Tibi agat genus mortalium a Te sanctificatum, pacificatum, eruditum, ornatum! Te sequemur, Te omnes sequantur ducem et magistram. Tibi credentes non errabimus, Te sequentes non deviabimus. Perduc singulos ad portum aeternae salutis, perduc terrenam societatem ad quaecumque vera, quaecumque bona, quaecumque pulchra, honesta, ornata. In Te et per Te, Tecum et pro Te laborent omnes, quique terrigenis bene volunt. Et totus mundus cum magno in terris solatio et aeterno in coelis praemio experietur, quod sanctae memoriae Leo P. P. XIII. docet: „Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum, adipiscendamque in coelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis ac maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum.“¹

¹ De civitatum constitutione Christiana d. d. 1. Nov. 1885.

